



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Disputatio I. De Essentia, & Speciebus Animæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

de pluribus aliis, habet se ergo temperamen-
tum tantum velut conditio necessariò requisita,
ut essentialia maneat inter se unita. Ad
secundum dico temperamentum non esse prin-
cipium principale illarum passionum, sed mi-
nus principale per modum alicujus dispositio-
nis, vel conditionis necessariò requisitæ, quod
inde claret, quia anima rationalis tales passio-
nes refrænat, & moderatur.

primis disjunctio vitium est in definitione; Se-
cundò quia plures ex iisdem particulis eidem
animæ conveniunt: Denique si intelligenda
est sic, ut diceretur, anima est principium in-
ternum, quo vel vivimus, vel sentimus, &c.
esset potius divisio, quàm definitio: Est tamen
bona, primò in hoc sensu, quòd anima sit prin-
cipium exercendi has operationes, ubicunque
exercentur, nulla enim ex enumeratis opera-
tionibus exercetur ab alio, quàm ab anima, li-
cèt non eadem anima exerceat omnes simul.
Secundò potest etiam definitio data disjuncti-
vè sumi cum copulatione ad precedentes par-
ticulas dicendo, anima est principium, quo ve-
getantur res, vel etiam sentiunt, aut quoque
moventur, & insuper tandem intelligunt.
Notandum autem est, quòd quando Phyloso-
phus dixit animam esse principium primum,
per ly principium esse intelligendum, *internum*
& *Formale*; per *internum* excluditur DEUS, qui
est quidem principium primum, sed nobis ex-
trinsecum; excluditur materia prima per ly
Formale; & etiam forma corporeitatis, quæ li-
cèt sit formale, non est tamen de se sine ulte-
riori forma sufficiens ad eliciendas supradictas
operationes. Declaratà itaque definitione
secundà Aristotelis & eà approbatà tanquam
bona in certo sensu, de prima quòque

Explicatus
secunda.

IV. Probatur secunda pars Conclu-
sionis, tum ratione D. Augustini supra, tum
quia corpus non potest esse simul cum quacun-
que parte alterius corporis, sed anima est in
quacunque corporis parte, ergò anima non est
corpus 2. Quia si aliquid esset, vel esset ele-
mentare, vel mixtum, vel Cœleste, neutrum
autem horum est, ergò.

Probatur tertia pars, Corpora vi-
ventia à non viventibus differunt, sed non in
materia, ergò in Anima, ergò Anima non est
materia.

V. Dico secundò: Anima est forma infor-
mans corpus. Est communis. Probatur ex suffi-
cienti enumeratione & refutatione aliarum sen-
tentiarum, si enim accidens non est, nec cor-
pus, neque materia, erit forma.

VI. D. Augustinus pluribus in locis de-
finit, animam ut sic, quòd sit *vita corporis*, unde
serm. 13. de Martyribus c. 4. ait: *Anima est*
vita alicui rei, & habet & ipsa vitam suam. Id est
principium corpus organizatum vivificans, ly
vita enim tam sumi potest pro ipso principio,
quàm pro operatione vitali consequens illud
principium. Unde quæstione 88. in illum locum
Qui percussit omnem animam hominu Levit. 24.
ait: *Scriptura appellat animam ipsam vitam corporis,*
*quæ sit per animam, & hinc voluit ostendere homici-
dam quòd hominu animam percussit, id est percus-
tendo vitam hominem privet.* Et lib. 1. Locut.
Gen. in illud Gen. 37. *Non seravi eum in ani-
ma* ait: *Hoc loco nomine animæ vitam corporis ani-
mæ significat per efficientem id quòd efficitur.* Et
tract. 27. in Joannem *Anima tua non vivificat,*
nisi membra, quæ sunt in carne tua. Similiter de-
finit animam D. Bernardus, quòd sit *vita cor-
poris*, unde serm. 81. in cantica id clarè sic ex-
plicat: *Vita anima est vivens quidem, sed non ali-
unde, quàm se ipsa, ac per hoc non tam vivens quàm*
vita, ut propriè de ea loquamur. Inde est, quòd in-
fusa corpori vivificat illud, ut sit corpus de vitæ præ-
sentia non *vita*, sed *vivens.* Et quamvis istæ de-
finitiones bonæ sint, attamen puto non abs re
futurum, si etiam examinem eas, quas tradidit
Aristoteles.

VII. Itaque Phylosophus duplicem
tradidit animæ definitionem, primam lib. 2.
de anima c. 1. t. 6. quòd sit *Actus primus corporis*
organici Physici potentia vitam habentis. Secun-
dam eodem Libro c. 2. t. 24. scilicet, quòd
*Anima principium primum sit, quo vivimus, senti-
mus, loco movemur, & intelligimus.* Quæ posterior, li-
cèt ab Aristotele specialis vocetur, ex eo, quòd
animarum species in ea enumerentur, non est
bona, si absolutè & collectivè sumatur, utpote
quia sic tantum animæ rationali conveniret;
nec bona est, licèt disjunctivè sumatur, nam in

DICO 3. Quid bona sit. Est communis
inter Peripateticos. Probatur explicando
omnes ejus particulas. Dicitur itaque *actus*,
per quòd convenit cum omnibus aliis formis,
quæ omnes sunt actus materiæ, subintellige
autem substantialis informans & non assitens
ex dictis, cum ex ipsa, & materia fiat unum per
se, quòd non fit ex materia & accidenti, nec ex
assistentia alicujus. Dicitur *primus*, per quam
particulam ab accidentibus distinguitur, quæ
dicuntur actus secundi; nota autem non quam-
cunque primitatam hic intelligi: non enim est
primus simpliciter, sicut DEUS est, nec est
primus, quòd materiam primò informet, cum
in viventibus præsupponatur forma corporei-
tatis, sed quòd inter actus informantes mate-
riam, perfectior sit, & quòd ab ipsa procedant
operationes tanquam alii actus secundi. Di-
citur *corporis*, ad insinuandum, quòd ipsa cor-
pus non sit, licèt aliqui S. S. Patres eam corpus
vocitarint, acceperunt enim ibi corpus pro qua-
libet natura, & limitata in aliquo genere: Di-
citur *Physici*, seu naturalis ad differentiam cor-
poris artificialis. Dicitur *Organici*, ad diffe-
rentiam formæ naturalis immediatè informan-
tis materiam primam, & tale organizatum cor-
pus est habens formas dissimiles & heteroge-
neas plures vel pauciores, juxta majorem vel
minorem perfectionem, cujuscunque animati.
Denique dicitur *potentia vitam habentis*, nam sta-
tim ut aliquid est ita organizatum, est capax
vitæ, & licèt detur aliquid corpus ita organi-
zatum, non tamen animatum, veluti est lignum
ficum, quòd adhuc retinet formam corporei-
tatis quam antea habebat, dum erat animatum,
hoc evenit, quia caret debito temperamento &
debitis dispositionibus ad animari. Sed con-
tra Conclusionem

VIII.
Prima defi-
nitio eligitur

Explicatus
definitio pri-
ma Aristote-
lis.

Arguitur I. Anima est actus perfe-
ctissimus, ergò non est actus primus, sed debe-
bit

IX.
Quomodo
actus primus
sit perfectior
quam secun-
dus.

bit esse actus secundus; antecedens patet; probatur consequentia, quia actus primus perficitur per secundum, ergo non est actus primus. Sed Respondeo negando consequentiam, cuius probationis distinguo antecedens: actus primus perficitur à secundo accidentaliter, concedo; Essentialiter nego; primus enim essentialiter præsupponitur secundo, tanquam fundamentum & causa ejus.

Instatur ex Aristotele 7. Metaphys. t. 17. quæ sunt priora generatione sunt posteriora perfectione, quia natura procedit semper ab imperfectis ad perfecta, sed actus secundus est essentialiter posterior, quàm actus primus, ergo est actu primo essentialiter perfectior, & non tantum accidentaliter. Verum ad majorem vulgaris est responsio eam veram esse, si in eodem genere sistatur, non verò in diverso, prout est in proposito, cum actus primus sit substantia, actus secundus accidens.

Opponitur secundò: Hæc definitio convenit Angelo, quando corpus assumit, ergo non est adæquata. Verumtamen Respondeo negando antecedens, Angelus enim actus non est, quia actus substantialis est aliquid incompletum exigens alicui præexistenti uniri substantialiter, Angelus autem non substantialiter, sed tantum localiter unitur corporibus assumptis, nec in illis veras operationes vitales exercet, sed ea quæ sunt habent tantum apparentiam alium actionum, ut ipse Archangelus Raphael fassus est. Tobias 12. Videbar quidem nobiscum manducare & bibere, sed ego cibo invisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.

Instatur. Anima separata est actus incompletus, sed ipsa nihil substantialiter constituit, ergo non est de ratione actus, quod aliquid substantialiter constituat. Communiter respondetur distinguendo minorem, anima nihil actualiter constituit, substantialiter conceditur; aptitudinaliter, negatur; separata etenim retinet aptitudinem ad informandum corpus, & ita intelligenda est definitio.

QUÆSTIO II.

In quo consistat ratio corporis & ratio vitæ?

Quod dixi in Logica de multiplici Spiritus & corporis acceptione, hoc insinuat D. Bernardus serm. 5. in cantica & clarè docet D. Augustinus lib. 14. Trinit. 16. his verbis. Omnis mens Spiritus est, non autem omni Spiritus mens est. Est enim spiritus & Deus, dicitur etiam spiritus in homine, qui mens non sit, ad quem pertinent imagines similes corporum. Dicitur & hominis anima spiritus. Dicitur etiam spiritus pecoris. Dicitur etiam spiritus ventis, res apertissime corporalia. Hic autem pro prima parte corporis rationem investigabo, prout opponitur spiritui in propria acceptione, cum definitionem animæ dederim per ordinem ad corpus, & ad vitam. Itaque rationem corporis prout opponitur spiritui posuerunt aliqui in eo quod habet trinam dimensionem, scilicet longitudinem, latitudi-

nem, & profunditatem, citantes pro se D. Augustinum de quantitate animæ, ubi asserere videtur nullum esse corpus, nisi quod habet dimensiones dictas, non attendentes S. Patrem loqui de corpore, prout opponitur superficiæ & lineæ. Alii posuerunt in eo, quod exigit quantitatem; alii quod impenetrabilitatem. Verum primi non subsistunt, nam superficies, linea, & punctum substantiale sunt corpora prout opponuntur spiritui, & tamen non habent præfatas dimensiones; neque subsistunt secundi, quia si daretur aliqua substantia divisibilis non exigens quantitatem, ut multi senserunt ex antiquis de Angelis, & exigeret in loco divisibili esse cum proportionem partis ad partem, illa substantia esset corpus & tamen non haberet quantitatem; per quod ruunt & tertii; Et insuper non implicat, quin DEUS possit creare substantias exigentes penetrari ex natura sua se invicem sicuti penetrabilia sunt corpora gloriosa deo substantia, ergo impenetrabilitas non est de ratione corporis ut sic prout spiritui opponitur. Itaque

Dico I. Corpus substantiale bene explicatur quod sit substantia comatur aliter impositum occupare locum divisibilem indivisibiliter, ita, ut si in unum toto, & tota in qualibet parte. Patet, tum ex refectione paulo ante facta; tum ex eo, quod omnes substantia corporea, quæ defacto dantur habent hanc rationem, & nullæ substantia spirituales ex illis, quæ defacto dantur, habent illam, ergo. Hæc pro prima parte sufficienter, qui plura desiderat, consulat Logicam meam parte 3. d. 2. q. 4. ubi fufius rem pertractavi.

Accedo ad secundam partem resolvendam, pro qua notandum est nullam esse difficultatem de vita in actu secundo, sed consistat verari, in quoniam consistat ratio vitæ in actu primo, vita enim in actu secundo, dicuntur omnes illæ, quæ solis competunt viventibus actiones, ut sunt sentire, videre, motu progressivo se movere, nutrire, & intelligere, &c. unde queritur in quoniam consistat illud principium (quod est vita in actu primo) illarum actionum circa quam materiam primo dubium est, an possit dari conceptus vitæ, communis Deo, Angelis, animantibus & plantis, negat Pontius, Arriaga & plures alii. Ego

Dico secundò: Datur conceptus vitæ univoce omnibus & solis viventibus tam creatis quàm increatis. Est contra Pontium.

Probatur primò: Substantia ut sic dividitur adæquatè & univoce in substantiam viventem, & non viventem tanquam superius in sua inferiora, sed non vivens univoce dividitur tanquam genus in suas species, terram, ignem, aquam, aërem, &c. ergo etiam vivens in vegetativum, sensitivum & intellectuale, major est certa, minor etiam, loquendo de re dice ex qua pullulat repugnantia ad non vivendum de qua etiam loquor; consequentia sequitur à pari, quia tam verum est dicere, Deus, Angelus, homo, arbor est vivens, quàm hoc, Aër, Ignis, Aqua est substantia non vivens.

Probatur secundò: Quia omnia viventia magis conveniunt inter se, quàm cum non

X.
Angelus localiter tantum est in corpore assumpto.

Anima separata est actus aptitudinalis.

I.
Varia sententia circa descriptionem & explanationem corporis.

non viventibus, sed cum non viventibus conveniunt univocè in omni prædicato, quod non est ratio vite, ergò inter se conveniunt in ratione vite.

Probatum tertio: Viventia & non viventia distinguuntur essentialiter inter se, ergò habent rationes, & differentias essentielles, per quas differunt; & substantia, sed illa quæ habent rationem essentialem distinctivam sui ab omnibus aliis, habent prædicatum commune univocum, quia prædicatum essentialis commune est univocum habentibus eam essentialiter.

Dices: Viventia habere suas differentias essentielles específicas & speciales, per quas essentialiter differunt à non viventibus, nullam tamen dari essentialem communem univocè omnibus viventibus. Sed contra primò: Hoc est merè voluntariè dictum. Contra secundò: Intellectus, qui invenit gradum vite communem in pluribus à parte esto sint secundum suas rationes speciales diversæ, ut sunt vivens, vegetans, sentiens, intelligens in diversis subiectis, tamen potest cum fundamento in re ab illis abstrahere unum conceptum communem univocè saltem objectivè secundum communem Scotistarum opinionem, quia non aliter asserunt Deum & creaturam univocari in ente ut sic, & hoc intellectum posse negare, non est eum funibus ligare? Et hinc. **Contra tertio:** Quia non constat evidenter non dari à parte rei talem conceptum communem subjectivè, esto non possit à nobis pro hoc statu unico conceptu simplici proponi, & per simplicem enumerationem ejus quidditas exprimi, possunt tamen aliquo modo, nempe vivens ut sic, sicut dicimus respectu Dei & creaturæ *Ens ut sic, substantia ut sic*. Et per hoc patet solutio alterius argumenti Pontiani, ubi petitur, ut assignetur ratio communis, quia dico esse *vitam ut sic*; Et si queratur ulterius quid sit vita ut sic, solvo per similem questionem, quid est Ens ut sic? Quid sit substantia ut sic? Quidquid dicatur, dicere possum & ego, est ergò Gradus ut sic communis omnibus viventibus, per quod essentialiter distinguuntur à non viventibus, aut est principium operationum vitalium ut sic vegetare, sentire, loco movere, & intelligere. Nunc restat difficultas quomodo ergò explicari & definiti possit vita ut sic, communis omnibus viventibus, circa quod inter illos etiam qui admittunt dari talem diversæ sunt sententiæ, quas ante mentem meam prius refutabo. Unde

Dico tertio: Vita in actu primo non consistit in principio per se insituro, ad acquirendam aliquam perfectionem, quæ non est illi debita ex vi proprie generationis. Hæc est contra Maltrium. Probatum ex Scoto supra 4. d. 44. ubi expressè nutritionem ab augmentatione distinguit, ex eo, quia nutritio non est per se intentata à natura, augmentatio verò sic, ita ut etiam si non esset nutritio, adhuc foret augmentatio, sed natura non intendit aliquid, nisi quod ipsi debetur ex ratione generationis, & augmentatio est actus procedens à vita; ergò ratio vite non consistit in principio ad acquirendam perfectionem sibi indebitam, ex vi generationis,

cum augmentationem, vel actum vitalem secundum per se intendat. Deinde in divinis intellectio & volitio sunt vitales, & tamen sunt necessariò debita perfectiones Deo, ergò ratio vite non potest consistere in principio ad acquirendam perfectionem indebitam naturæ, similiter discurre de Angelis quibus magis debetur cognitio sui & Dei, quam centrum lapidi, quod centrum est tamen perfectio lapidis, ergò ratio vite non consistit in acquisitione perfectionis indebitæ, cum hæc cognitio veluti perfectio Angelo debeat, & tamen eam acquirit per vitam in actu primo.

Dico quarto: Ratio vite in actu primo non bene explicatur per principium immanentem agendi. Est contra Vulpem. Probatum, quia etiam non viventia in se ipsis connaturalis proprias qualitates producant, ut aqua calida ad pristinam se reducit frigiditatem, gravia & levia ad proprium se movent ubi, &c. ergò.

Dices: Etiam si inanimata immanenter agant, possunt tamen etiam transeunter agere, ut gravia & levia, tam in se, quam in aliis motum sursum & deorsum causare possunt, non sic animata. Sed contra est vel hoc ipsum, si enim uni & alteri immanens actio convenire potest, jam non adequatè explicabit rationem & distinctionem viventis à vivente; Deinde omnes operationes vitales possunt produci à Deo in alio subiecto, & unus Angelus cognitionem in intellectu alterius Angeli, ergò.

Dico quinto: Ratio vite in communi non bene statuitur in principio movendi se ab intrinseco. Est contra Thomistas. Probatum, quia ille motus vel esset realis, vel esset intentionalis, vel ab utroque abstrahens; non realis, nam DEUS verè vivit, non tamen sic movetur; non intentionalis, nam plantæ, quæ in omnium sententia vivunt, non sic moventur, non denique abstrahens, tum quia Deo non convenit, & convenit non viventibus. Dixi in communi, quia in particulari omninò accommodari potest, ut mox ex S. Bernardo ostendam.

Dico sexto: Vita ut sic communis omnibus bene describitur quòd sit principium secundum naturam immanenter principiativum, cui quod est de se perfectivum illius, cuius non præcisè per intus susceptionem aut intentionaliter, sed quod ab extrinseco recipere naturaliter non exigit. Hæc videtur mihi esse ex mente D. Bernardi trat. de Grat. & lib. arb. c. 2. ubi ait: *Est enim in quolibet corpore vita internus ac naturalis motus (in actu secundo, in primo principium talis motus) vicens tantum intrinsecus, nempe per intus susceptionem & de se immanenter.* Probatum etiam tum ex refutatione aliarum opinionum, tum explicatione. Et Tò principium rationem generis habet, differentia rationem, habent reliqua; & ly secundum naturam immanenter de se principiativum complectitur Animam, Angelum, Deum, qui in alio possunt actus vitales producere, verbi gratia, intellectiones & volitiones, atamen ex natura petunt immanenter de se produci; principiativum insuper dicitur, & non causativum, quia Deus vivit dum intelligit & amat, ejus tamen intellectio non est causata, sed principiativa:

VII. Vita non est principium immanenter agendi.

VIII. Nec in principio movendi se.

IX. Describitur vita ut sic communis omnibus.

V. Dicitur in principio de differentia essentiali.

VI. Vita non consistit in principio movendi se.

QUÆSTIO III.

De divisione animæ in vegetativam, sensitivam, & rationalem.

Ab explicatione quidditatis

& essentia animæ ad animarum numerum gradum facio: Quidam ex antiquis negarunt plantas esse animatas, ex eo quod appetitum, & cupiditate careant. Plato autem in Timæo docuisse videtur, quod plantæ non tantum vivunt, sed etiam sentiant, quas in hoc tamen ab animalibus vult differre, quod hæc acutum & vigilantem sensum habeant, plantæ vero obtusum, & quasi dormientem, quem secuti sunt Empedocles & Anaxagoras, qui duas itaque tantum statuebant animas, sensitivam scilicet, & rationalem, quos adhuc stupiditate, impietateque Manichæi Heretici superarunt, non erubescens plantis animam rationalem ascribere, unde qui fructum, foliumve ex arbore decerperet, flores colligeret, gramen delaceret, homicidium committere affirmabant, ut testatur D. Augustinus lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 17. contra quæ deliria,

Dico: Tres sunt animarum species, videlicet

species, scilicet vegetativa, sensitiva, & rationalis, quarum prima plantis, brutis secunda, & tertiis hominibus convenit. Ita D. Augustinus & Bernardus ac communis.

Probaturque eorum

authoritate, D. Augustini quidem lib. 5. Civit. c. 29. ubi ait: DEUS bonis & malis essentiam cum lapidibus, vitam seminalem cum arboribus, vitam sensibilem cum pecoribus, vitam intellectualem cum hominibus Angelis dedit. Lib. 7. c. 27. Qui fecit omnem animam, sive quocumque modo viventem, & sensum & rationis expertem, sive etiam sentientem, præterquam intelligentem. Lib. 8. c. 6. Omnem vitam, quæ vel nutrit, & continet, qualis est in arboribus, vel quæ & hoc habet & sentit, qualis est in pecoribus, vel quæ & hæc habet & intelligit, qualis est in hominibus. Denique claudit serm. 27. verb. Apoll. c. 3. Habemus ergo, ut cuncta breviter repetamus, ipsam esse cum lignis & lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum bestiis, intelligere cum Angelis. D. Bernardi serm. 81. in cantica n. 3. ubi dicitur sunt namque, viventia & horum genera (generaliora) duo, quæ sentiunt, & quæ non sentiunt. Præter insensibilibus sensibilia præferuntur, ac nutriti, vita quæ vivitur & sentitur. Est pecorum vita, est arborum vita, sensu altera vigens, altera carens, quibus si addis sentientem simul & intelligentem habet animarum genera tria.

Probatur secundò: Tot sunt animarum genera, quot sunt potentiarum vitalium genera separabilia à se invicem, sed tantum tres sunt potentie vitales separabiles à se invicem, scilicet nutritiva, seu vegetativa, quæ est eaquæ sola in plantis, sensitiva, quæ cum nutritiva est in brutis, & intellectiva, quæ cum nutritiva & sensitiva est in hominibus, ergo patet minor, quoad secundam & tertiam partem, quæ probatur quoad primam de esse, ex 1. ad Corinth. 15. Quod semina non vivificantur, nisi prius moriantur; tum quia plantæ habent in

ceptiata: Additur ejus quod de se est perfectivum, iterum ne excludatur Deus cujus intellectio ipsum non perficit propriè, tamen de se in infinitum perfectiva est. Dicitur non præcisè per intusceptionem & intentionaliter, quæ est propria ratio vitæ ut sic, & defectu verborum unum proprium nomen impostum non habet, sed etiam ab extrinseco naturaliter recipere non exigit, ad excludendos actus vitales ab alio productos, quia si Angelus homo, vel animal intelligerent, vel sentirent per intellectionem, vel sensationem à Deo receptam, tamen adhuc sufficienter de se viverent, quia licet per illas viverent in casu utpote cum illis mediantibus perciperent, tamen naturaliter non exigunt ab extrinseco illas, imò exigunt posse illas à se habere, adeoque vitæ substantiali & in actu primo vivunt ex se ipsis & ex suo, licet in casu ab alio vivant quod eis est per accidens; unde quamvis Deus poneret actum sensationis, vel intellectionis in lapide, lapis adhuc non diceretur vivere, quia non haberet internum principium, ita quod implicet aliquid per extrinsecum actum vitalem vivere, si ante tale principium non haberet. Sed in contra

X. Quomodo vegetatio sit propria vita vegetativa.

Arguitur: Per datam definitionem formæ describitur vita vegetativa, ergò non est bona; probatur antecedens, quia intusceptio est idem quod vegetatio, sed vegetatio est propria vitæ vegetativæ, ergò. Respondeo negando antecedens, cujus probationis majorem distinguo, intus susceptio est idem quod vegetatio, absolute sumpta concedo majorem: ut habens necessariò annexam negationem sentiendi & intelligendi nego: & distinguo similiter sic minorem, vegetatio est propria vitæ vegetativæ ut habens necessariò annexam negationem intelligendi & sentiendi concedo minorem, absolute sumpta nego minorem & consequentiam, sic etenim competit quoque animæ sensitivæ & rationali.

XI. Inanimata non verè nutriuntur.

Instatur: Etiam inanimata verè nutriuntur per intusceptionem, ut patet de Magnete fovente & nutriente se ferro, & vino augmentante se secundum omnes partes aquæ, item ramus unus alteri inseritur, & ad majorem magnitudinem pervenit arbor, ergò potest haberi vera intusceptio & accretio sine principio vitali, consequenter non consistit in ea ratio vitæ in actu primo. Hæc instantiæ apparentes sunt, attamen nihil nos urgent, nam ad primam dico non esse ibi nutritionem, sed unius rei in aliam conversionem, ut enim res nutriatur per dispensationem venarum & intra se susceptionem alimenti fieri debet. Ad secundam dico non esse nutritionem sed mixtionem, nam vinum non attrahit partes aquæ & postea primò suis dispensat partibus. Ad tertiam denique dico, non esse aliud propriè loquendo illam accretionem quam juxta positionem, cum non fiat modo debito, quo solet fieri nutritio, & augmentatio, sed merè ab extrinseco agente applicante ramum & arborum, &c.

eternum principium nutriendi & augmentandi se; ergo habent animam vegetativam, quod autem hæc in illis sit sola, probatur tum ex D. Bernardo Serm. 10. de diversis, ubi ait: *Nec mireris, quod interdum animæ impiorum notitiam habeant veritatis, quæ tamen expertæ sunt charitatis, quando & in corporibus nonnullis vitam reperit sine sensu, ut sunt arbores cæteræq; similia.* Tum quia ubi sensitiva penes est, est etiam somnus & vigilia, organa sentiendi & dolor; ergo plantæ non habent animam sentiendi quandoq; enarratis careant. Dicuntur autem potentie separabiles non quasi potentia intellectiva in homine possit esse sine aliis potentiis, sed quia alia potentie possunt esse sine ipsa in brutis & plantis. Dixi autem notanter in conclusione tot esse animas, quot sunt genera potentiarum separabilia, quia propter potentiam loco motivam, & appetitivam & similes non oportet ponere novas animæ species, cum semper conjungantur, vel cum sensitiva, vel cum vegetativa, vel dici potest, quod motiva & non motiva sint species sensitivæ. Dixi etiam in Conclusionem tres esse animarum species, vel quasi species, nam in rigore nec tria genera dici possunt, nec tres animarum species rationalis namq; constituit speciem specialissimam, reliqua verò sunt genera subalternæ. Denique quod per operationes colligenda sit animæ divisio, hinc patet, quia secundum præsentem statum non nisi per operationes essentielles rerum differentias cognoscimus, quæ operationes supponunt potentiam, eamq; manifestant.

vere vitæ sensitivæ & hominem intellectivæ, quod autem non videantur sentire, est organorum indispositio ex qua provenit, quod non possint signa doloris exhibere. Attamen respondeo & dico hanc non esse rationem præcisam, quod non sentiant, sed quia in nulla parte sentiunt, unde quamvis non valeat argumentatio aliquod vivens non sentit in aliqua parte & in aliqua parte non discurret, quod non vivat vitæ sensitivæ aut intellectivæ, bene tamen, si in nulla parte sentiat vel discurret.

Dico 2. Quatuor sunt genera animarum, videlicet nutritiva, loco moventia & non perfecte moventia ac intelligentia.

IV.

Quatuor sunt genera animarum.

Probatur: Quia tot sunt potentie separabiles in animatis; ergo tot erunt animata. Probatur antecedens; quia Aristoteles dicit quædam animalia esse sensitiva, & tamen non loco moventia, ut ostrea, spongia, concha, &c. ergo: quædam verò in se permoventur, ut notum est & quædam denique discurrunt, ergo. Hinc tamen non inferas quatuor quoque genera animarum futura, nam licet antecedens tibi concessero, negabo tamen consequentiam, quam inferre intendis scilicet malam; ergo futuram divisionem datam supra, nam necesse non est, ut in animarum divisione omnes ponam subdivisibiles species, nam ut supra tibi insinuavi, potentia loco motiva & non motiva loco continentur sub sensitiva. Sed ad alia properando ponitur

QUÆSTIO IV.

De divisibilitate & indivisibilitate Animæ, ut sic.

Profaciliori dicendorum captu ad-

I.

Multipliciter sumitur divisibilitas.

tendum venit primò, divisibilitatem variè sumi posse prout variæ sunt compositiones; Non queritur autem hic an animæ essentialiter sint divisibiles, cum constet eas esse Metaphysicè compositas ex genere & differentia, Physicè verò eas esse simplices & indivisibiles, nam si constarent ex materia & forma, essent corpus vivens, de quo iterum quæri posset, an esset indivisibile vel non, sic secundum, daretur processus in infinitum; ergo nec anima erit Phycè divisibilis, ni talem processum in infinitum admittere velis. Constat etiam omnes animas esse divisibiles quoad suas potentias seu virtutes, per quas varias exercent functiones, itaq; quæstio tantum est, an & quæ anima possit dividi in partes entitativas & integraliter, quæ partibus materiæ & quantitatis correspondeant? Notandum secundò, viventia multum inter se distare imperfectione, alia quippe sunt sensitiva perfecta, alia imperfecta; perfecta dicuntur ea, quorum partes separatæ non vivunt, ut sunt bos, equus, asinus &c. imperfecta, quæ ab Aristotele Lib. de Senectute insecta dicuntur, sunt ea, quorum partes separatæ vivunt, cujusmodi sunt pleuraque reptilia, ut serpentes, vermes, lacertæ, &c. Cleanthes & Chrisippus omnem animam etiam rationalem esse divisibilem, & contra

T t t t omnem

Arguitur: Plantæ sentiunt, ergo duo tantum animarum sunt genera; probatur antecedens, nam plantæ habent potentias appetitivas; ergo habent animam sensitivam ratione cujus appetunt; Prob. antecedens, fugiunt noxia & commoda prosequuntur, ut fugit laurum vitis, ulmum amat, cucumer fugit & odit semper oleam, item datur in ipsis uterq; sexus & ut fœcundentur sibi esse postulant viciniore, ut videre est in palmis, deniq; in Scripturis tribuitur eis vita & occisio, nam Pl. 77. dicitur: *Occidit in grandine vineas eorum;* ergo vivunt vitæ sensitivæ, nam occisio, amor, odium, dolor, non nisi sensitivis competunt, ergo. Respondeo negando antecedens, nam in plantis non est nisi aliquis appetitus naturalis seu inclinatio, quæ consequitur naturam cujuscuq; rei, seu viventis, seu non viventis, ut patet de magnete, qui attrahit ad se ferrum & diu attractum in seipsum convertit, unde hæc plantarum sympathia & antipathia fundatur in primis qualitatibus atq; adeo uterque sexus metaphoricè ipsis tantum applicatur, ad illud autem Pl. Respondet D. Augustinus l. Civit. 20. dicens hoc genus rerum, id est plantarum, quamvis non sentiat, vivit tamen & per hoc potest dici occidi & mori, unde occisio sumitur ibi pro destructione cujuscuq; rei & metaphoricè.

Instatur: Ideo amor, odium, sexus & occisio metaphoricè sumerentur, quia plantæ non sentiunt, sed hoc non est dicendum, nam nec bos sentit in ossibus, nec homo intelligit in pedibus, & tamen nemo dicit bovem non vivere. *F. Amanás Herwamm Physica.*

omnem animam esse indivisibilem assererant Simplicius & Thienensis D. Thomas animam rationalem & animalium perfectorum esse indivisibilem, insectorum divisibilem defendit. Scotus verò cum Recentioribus animam rationalem indivisibilem, reliquas verò divisibiles esse 4. d. 1. q. 5. n. 8. d. 44. q. 1. cum suis pugnat, quibus subscribendo.

II.

Brutorum
animæ sunt
divisibiles.

Dico I. Omnium animalium brutorum, seu insectorum Anima divisibiles sunt non minus quam plantarum.

Probatur Conclusio primò ratione eadem, quâ probavi supra in nutritione verè acquiri novas partes materiæ & formæ, si forma sit materialis.

Probatur secundò, particulariter de plantis experientiâ, quâ videmus, quòd ramus abscissus, separatusq; ab arbore tam arbor, quam ramus viventes remaneant, exercentq; operationes vitæ, ut virefcunt, crescunt, quare agricolæ varias ex illis faciunt insectiones & inoculationes, quod non esset nisi esset & ramus tam benè animatus, ac arbor.

Probatur de animantibus imperfectis ex mente & experientia D. Augustini quam lib. de quant. Animæ c. 31. sic describit: *Possent respondere aërem & ignem, quæ duo per animæ presentiam tenentur in corpore terreno & humido, ut omnium fiat contemperatio, dum post eisdem animæ abscissum ad suprema evadunt, ac sese expediunt movere illa corpuscula tantò concutatus, quando plagâ recentiore subito erumpunt: deinde porro motum languescere, postremò desinere, dum minus, minusq; fit, quod effugit, ac tandem totum evolat: Sed ab hoc me revocat, quòd hîc hausi oculis penè serius quam credi potest, sed certe non serius quam deberem. Cum enim nuper in agro essemus Liguriæ, nostri illi adolescentes, qui tunc mecum erant, studiorum suorum gratiâ, animadvertentur humi jacentes in opaco loco reptantem bestiolam multipedem, longum dico quendam vermiculum; vulgò notum est, hoc tamen quod dico, nunquam expertum eram. Verso namq; stylo quem forte habebat unum illorum, animal medium percussit, tum ambe partes corporis ab illo vulnere in contraria discesserunt, tantâ pedum celeritate, ac nihil imbecilliore nisu, quam si duo hujusmodi animantia forent. Quo miraculo exterriti causeq; curiosi ad nos, ubi simul ego & Alpius considebamus, alacriter vivencia illa frustra desulerunt. Neg, nos parum commoti ea currere in tabula quaqua versus poterant cernebamus, atq; unum ipsorum stylo tactum contorquebat se ad doloris locum, nihil sentiente alio, ac suos alibi motu peragente. Quid plura? Tentavimus, quatenus id valeret, atq; vermiculum, imò jam vermiculos in partes multas concidimus: ita omnes movebantur, ut nisi à nobis illud factum esset, & compercerent vulnera recentia, totidem illo separatim natos, ac sibi quemcunq; vixisse crederemus.*

III.

Motus illi
non possunt
adscribi spi-
ritibus
vitalibus.

Dices: Hoc provenire à spiritibus vitalibus. **Contra,** quòd dictæ partes diu moventur & sentiunt, quòd à spiritibus vitalibus provenire non potest, quia etiam dicti spiritus remanent in partibus animalium perfectorum præcis, quæ tamen non ita diu durant, si

pars aliqua principalior præscindi contingat, neque

Instabis, Datam solutionem tibi multum esse favorabilem, quia inde inferes; ergò animæ animalium perfectorum non sunt divisibiles, quia eorum partes præcis non exercent operationes vitales, quod est directe contra Conclusionem. Quia in Contra est quòd hoc non eveniat ex eo, quòd non sint divisibiles animæ, sed quia Anima animalium perfectorum perfectiores & majores requirit dispositiones & temperamenta ad sui conservationem quas non requirit Anima imperfectorum, quare in parte rescissa sufficientes inveniuntur dispositiones ad animarum conservationem, quod non sic est de animalibus perfectis. Deinde ad primam replicam respondere quis potest, secundò quòd etsi motus proveniat à spiritibus vitalibus, sensatio tamen ab illis provenire non potest, quod tamen evenit, nam si post longum tempus pungatur se contrahunt.

Probatur denique Conclusio

de Anima animalium perfectorum: Forma materialis equi sufficienter dependet à materia quam informat; ergò illa materia à qua dependet in primo instanti generationis est causa adæquata materialis respectu formæ; ergò quando augetur non potest eadem forma dependere à nova parte materiæ que viventi accersit; prima consequentia est certa; probatur secunda, positâ dependentiâ adæquata non potest effectus naturaliter aliam habere, alias naturaliter haberet duplicem dependentiam ab eodem causa; ergò positâ dependentiâ adæquata formæ equi à materia quam acquirit in primo instanti generationis non potest habere dependentiam à materia quam acquirit per nutritionem; ergò producenda est aliqua pars nova formæ à qua dependeat nova materia; ergò equus jam constat nutritus partibus formæ, adeoq; ejus anima est divisibilis in plures partes entitativas. Confirmatur hoc, quia nulla est ratio dicere animas illas esse indivisibiles, alioquin essent spirituales & consequenter totæ de toto & pars de parte educatur & dependet; probatur antecedens, nam ratio quam asserimus in primis quòd non repugnet dari aliquam formam materialem indivisibilem, nam quantum absolute loquendo hoc verum sit, falsum tamen est loquendo de forma, quæ connaturaliter dependet à subiecto extenlo, sicut adversari dicunt dependere animas animalium perfectorum; Deinde quòd adducunt secundò; si equus aduratur in uno pede, sentit in altero; Et dolor in tactu impedit sensationem in visu; si etiam lacerta tangatur in cauda, verbi gratia sentit dolorem in toto corpufculo, quòd signum evidens est animas tam perfectorum, quam imperfectorum animalium indivisibiles esse; Verum omnia allegata non proveniunt ex eo, quòd animæ sint indivisibiles, sed quia omnes partes sibi adherent, sibiq; sunt continne, unde si una pars lædatur, dolor ad omnes alias permeat partes, & una pars movetur propter tactum, & motum alterius nõ secus ac si lignum in una movetur extremitate propter continuationem omnis

moventur partes. Et quia ut dixi nulla est ratio ideo Adversarii

V. *Explicit duplex textus Aristotelis.*

Opponunt binas auctoritates Aristotelis prima est ex 1. An. t. 44. ubi asserit: *Omnem animam esse indivisibilem*; secunda est 1. Gen. t. 35. ubi dicit *in augmentatione partes secundum formam manere, non vero secundum materiam*; ergo omnis anima est indivisibilis, alioquin etiam ipsa acquireretur ad acquisitionem novae materiae; Verum & ad auctoritates facile aequè respondetur, ac ad rationes, nam in primo loco solum dicit omnem animam esse indivisibilem indivisibilitate essentiali & specificâ, non vero integrali & quoad partes entitativas. In secundo loco Aristoteles non vult asserere in augmentatione vel nutritione partes etiam secundum formam non fluere, nam ab ipso ibi eadem pars dicitur secundum formam & secundum materiam, quousque enim habet vim conservandi seipsam dicitur pars secundum formam, unde dicitur non fluere secundum formam, dum verò incipit fluere, efficitur pars secundum materiam, hinc dicit partes secundum materiam fluere, non secundum formam.

VI. *Anima rationalis est inextensa.*

DICO 2. *Anima rationalis indivisibilis est & inextensa.* Est Patrum nostrorum & omnium Theologorum.

Probatur primò, auctoritate Aristotelis 2. de an. t. 21. ubi postquam dixisset animas ad divisionem corporis divisibiles, etiam esse & dividi, excludit tamen animam rationalem; & 3. An. t. 32. & passim docet intellectum esse immixtum, immaterialem & separatum à materia.

Probatur secundò Ratione Scoti: In anima nostra recipitur actus omninò spiritualis, velut est intellectio rei spiritualis & inextensa, sed talis intellectio non potest recipi in subiecto extenso & quanto, aliàs in ipsa esset extensa & quanta, cum accidens extendatur ad extensionem subiecti, tanta etenim est albedo, quanta est superficies alba; ergo anima non est extensa & quanta, adeoq; est indivisibilis.

Probatur ratione tertio: Si anima rationalis esset divisibilis & extensa, sequeretur quòd esset mortalis, consequens est falsum; ergo & antecedens; probatur sequela: fit anima extensa per corpus, & habeat partem in parte, deinde abscindatur manus, quæro de parte animæ, quæ erat in illa manu, vel est retracta ad materiam proximam antecedentem, & hoc esse non potest, nam non possunt duæ distinctæ partes formæ simul informare eandem materiam; ergo illa pars animæ debet recedere cum manu, jam quæro iterum an illa pars sit mortalis vel non? si secundum, tunc ex una anima rationali fient tot alæ immortales, quot partes sunt divisibiles, quod tam absurdum est, ut nullus non videat non indigere impugnatione: Si primum, tunc erit tota mortalis, cum omnes partes sint ejusdem rationis, ergo. Confirmatur, quidquid enim divisibile est, eo ipso namq; quòd dividatur amittit illud esse quod antea habebat.

VII. *Unde colligitur motorem carere quantitate.*

Opponunt Nobis pariter adversarii auctoritatem Aristotelis, nam 8. Phys. t. 78. *E. Amandi Hermann Physica.*

& 79. ait: Primum Motorem carere quantitate & esse indivisibilem, quia non est in materia, sed anima est in materia; ergo non caret quantitate, adeoq; est divisibilis. Sed respondeo Philosophum solum probare, primum Motorem carere quantitate ex hoc, quòd non constituitur ex materia & sit aliquid intellectuale, infero non esse quantum, seu carere quantitate, quia non datur subiectum in quo reperitur quantitas; non materia, cum ibi non sit, non intellectualitas, utpote incapax, quia primum intellectuale non potest habere magnitudinem, quia forma intellectualis non est extensibilis, sed si intellectuale aliquid est quantum, habet materiam quæ perficitur à forma intellectuali, & tunc recipit quantitatem non ratione intellectualitatis, sed materialitatis, unde Aristoteles est pro nobis, nam cum anima rationalis non constet ex materia, & sit intellectualis non poterit esse divisibilis, licet possit informare corpus divisibile.

Instant: Omne quod recipitur in subiecto ad modum recipientis recipitur, sed animam dicimus recipi in subiecto quanto & extenso; ergo etiam extensa & quanta recipitur. Verum etiam respondeo distinguendo majorem; Ad modum recipientis recipitur, id est juxta capacitatem concedo majorem; id est: quòd debeat habere talem modum non sicut recipiens habet, nego majorem; Aliàs etiam Anima rationalis deberet esse corporea, quandoquidem in corpore recipitur.

Quomodo res ad modum recipientis recipitur.

Urgent argumentum: Si non reciperetur ad modum recipientis, sed solum juxta capacitatem sequeretur primò, animam rationalem à se ipsa distare, nam pars una in qua ipsa est distat ab alia, ut pes à capite; secundò, cum qualibet parte facere verum compositum, nam ubi anima rationalis est tanquam forma, & subiectum in quo recipitur compositum, efficiunt, & sic pes in quo est, homo esset, adeoq; pes discurrere & ratiocinari posset. Verumtamen negatur prima sequela, nam distantia propriè dicta in ordine ad diversa sumitur loca adæquata, quare non inconvenire aliquid esse in pluribus locis inadæquatis & per accidens, sicut etiam non est inconveniens, secundum illa diversa loca simul movere & quiescere, nulla enim est contradictio, cum non sit circa idem & de eodem. Ad secundum dico Animam rationalem non cum quocunq; subiecto facere compositum, sed tantum in subiecto apto; unde ad hoc ut ex subiecto & anima rationali resulet compositum & homo, debet esse subiectum constans ex pluribus partibus corpus organicum integrantibus, unde pes non potest dici discurrere, sed benè totus homo propter organa in toto homine reperta, & non reperta in pede.

Solvitur duplex instantia.

DICO 3. *Partes Animarum divisibilium probabiliter esse homogeneas.* Est communior & vel ideo ab ea non recedendum; Tum ex eo, quia nulla est necessitas multiplicanda species, nam si aliqua esset, vel quòd subiectarentur in subiectis diversis, vel quia causant operationes diversas? primum non est; quia calor subiectatur tam in igne, quam in aqua, materia prima tam in homine, quam in bruto.

VIII. *Partes animarum divisibilium sunt homogeneas.*

nec secundum, nam Anima rationalis in diversis corporis partibus diversas exercet operationes. Sed ulterius probatur positivis rationibus, quia alioquin deberent tot animæ poni, quot sunt partes heterogeneæ diversæ. Deinde sequeretur animal non esse unum per se, nec unum specie, sed unum unitate ordinis & continuationis, quæ omnia falsa sunt. Sed sit

QUÆSTIO V.

An sint plures animæ in eodem animali tam simul, quam successivè?

I.

Non est tantum una anima in omnibus.

Multiplikes circa præsentem materiam sunt opiniones; prima est quorundam teste Alberto Magno admittentium unam tantum animam pro omnibus viventibus, qui error præterquam quod in Concilio Lat. sub Leone X. Sess. 8. damnatus sit manifestè repugnat rationi, nam diversæ materiæ quantitate sejunctæ ab eadem anima & forma informari nequeunt. Deinde sequeretur ejusdem speciei esse hominem & leonem cum arbore, cum distinctio specifica non oriatur ex materia sed ex forma, hæc autem unica tantum esset forma, ergo. Deniq; in omnibus viventibus eadem deberent esse operationes, cum operationes à forma procedant. Ab hac sententia paulò minùs recesserunt Manichæi, qui propter errorem supra tactum assererent duas esse animas, unam quæ esset prona ad bonum, alteram quæ esset prona ad malum, quarum una à malo, altera à bono Deo creata esset, admittebant namq; duos Deos Creatores bonum unum, malum alterum, ab hoc mala, ab illo bona produci; Eorum errorem sic refert D. Augustinus lib. de duab. anim. cap. 12. *Manichæi duo animarum genera esse dicunt, unum bonum quod à Deo fit, ut non ex aliqua materia vel ex nihilo ab eo factum, sed de ipsa ejus omnino substantia pars quædam processisse dicatur. Alterum autem malum quod nulla prorsus ex parte ad Deum pertinere credunt, credendum commendant. Et illud summum bonum, hoc verò summum malum esse prædicant, atq; ista duo genera aliquando fuisse discreta, nunc esse commixta; sed & hic error damnatus est in octava synodo generali Can. II. quia anima rationalis est ultima forma specifica hominis; ergo nequeunt duæ animæ rationales per se unum constituere hominem, nam ultimæ formæ specificæ sibi non subordinantur. Tertia sententia est Platonis ponentis tres animas in homine & subiecto, & loco distinctas, vegetativam scilicet, in hepate, sensitivam in corde & rationalem in cerebro, sed neq; hæc subsistere potest, nam sic loquendo esset in eodem homine ponere tria viventia, & tria animalia, nam quælibet anima constituit unum vivens proprium & proprium animal cum proprio subiecto & materia adæquata; ergo cum in homine esset cujuslibet animæ proprium subiectum & adæquatum, tot constituerent viventia, & animalia quot sunt animæ. His præmissis ad resolutionem procedo &*

II.

Non sunt in eodem subiecto plures animæ.

DICO I. *Nec in homine, nec in ullo alio animato sunt plures animæ simul.* Est D. Augustini pluribus in locis, cujus autoritate

Probatur primò: Lib. 2. moribus Manichæor. cap. 19. ubi alloquens Manichæos ait: *illud tamen in omnibus vobis quem admodum ferri, & tolerari possit ignoro, quod cum animam (nempe bonam) partem Dei esse dicatis, asseritis tamen etiam exiguo admixto malo, anima mala materiam ejus copiam ubertatemq; superari:* Lib. 2. lib. arbit. 7. *Manifestum est etiam rationales mentes singulos quosq; nostrum singulas habere:* Lib. 13. Trinit. cap. 2. super illud Actor. *Erat illis unum & anima una, dicit: Nam & duos homines simillimos cum videmus unam faciem dicimus & miramur amborum. Facilius itaq; dicitur multi animas fuisse singulas singulorum.* Et ne possit explicare ipsius mentem, de *singulis* rationalibus non verò de sensitiva & vegetativa clarè lib. de quant. anim. cap. 33. docet: *Animam humanam vivificare corpus terrenum, in unum colligere, tenere ne diffuant, alimenta subministrare, aggenerare sicut in arboribus, sentire sicut in herbis & discurrere;* ergo ex mente ejus nec simul quod dicit præfens Conclusio, nec successive quod asserit sequens plures in eodem vivente sunt animæ. Huic autoritati possunt etiam addi plures autoritates ex Aristotele 2. An. t. 71. dicentis vegetativam contineri in sensitiva, veluti Triangulum in Quadrangulo, vel Pentagonum in Tetragono. Scoti 2. d. 1. q. 5. O.

Probatur secundo, si in homine

in quolibet alio vivente darentur plures animæ realiter distinctæ, adveniente secundâ animâ non faceret cum prima unum per se, sed per accidens, sed hoc non est dicendum, ergo. Probatur sequela majoris, illud quod supervenit, cum alicui simpliciter perfectio & simpliciter in actu non facit cum illo unum per se, nam ad hoc requiritur ut unum se habeat per modum actus & alterum per modum potentie; sed anima tam vegetativa, quam sensitiva & intellectiva habet se per modum actus simpliciter, nam quælibet animalium sive vegetativa, seu sensitiva anima, ut planta, equus, est simpliciter perfectum, & ultimum perfectione ultima, non amplius perfectibili, est enim quodlibet illorum in aliqua specie atoma; ergo non possit facere cum illa unum per se.

Dices: Forma corporeitatis constituit subiectum in aliqua determinata specie, & tamen potest adhuc cum forma superveiente constituere unum per se; ergo etiam sic de animalibus dici potest, ergo: Sed respondeo partem nullam esse, nam per formam corporeitatis non constituitur subiectum in aliqua ultima specie essentiali non amplius perfectibili, quare autem forma corporeitatis non constituit in ultima actualitate veluti anima vegetativa & sensitiva nulla melior ratio assignari potest, quam data à Scoto 4. d. 11. q. 3. 99. *Quia hoc est hoc, & illud est illud.*

Probatur Conclusio tertio:

Anima vegetativa & sensitiva secundum proprias essentias requirunt aliam & aliam formam corporeitatis, seu mixtionis, sed forma mixtionis & corporeitatis est alterius omnino rationis in homine ab omni alia forma corporeitatis, ut de

se patet, ergo non erit animabilis ab alia forma, quam rationali, si enim anima rationalis informaret constitutum ex anima vegetativa & sensitiva, informaret brutum, & homo simul esset brutum & rationalis.

Probatur quarto Argumento

Theologico, quia in morte Christi Redemptoris nostri, aut anima Christi sensitiva fuisse mortua aut non? Si mortua, ergo mors non solum fuit animae Christi à corpore separatio, sed etiam ejus alicujus animae corruptio, & sic sanctum ejus vidisset corruptionem, & quod semel assumptum dimisisset, quae sunt erronea. Deinde debuisse etiam fuisse in resurrectione Christi reproducta quae sunt Patribus inaudita, si verò non fuit mortua, & tunc aut mansit in sepulchro cum corpore unita, & ita corpus adhuc esset vivens, & non mortuum; aut descendit cum anima rationali ad inferos, & sic duae animae descendissent, quod est fictitium; aut mansisset in aliquo loco separata, quod est falsum, cum sequeretur animam separatam à corpore per se subsistere posse, sique per se subsisteret, esset aequè mortalis ac rationalis. Neque dicas hoc fieri non posse propter subordinationem, nam multa realiter distincta sunt sibi invicem ordinata, ablato tamen ex illis uno manet alterum, ut patet de forma corporeitatis.

Arguitur in contra. Ubi quæque est operatio propria alicujus formae, ibi est ipsa forma, operatio enim propria propriam arguit formam, sed in homine est operatio propria animae vegetativae, & sensitivae contradistinctae ab operatione intellectivae, ergo in homine est anima vegetativa & sensitiva contradistincta ab intellectiva; major patet; probatur etiam minor ipsa experientia. Respondeo distinguendo majorem, ubi quæque est operatio formae, est ipsa forma, vel formaliter secundum propriam existentiam, vel virtualiter seu eminentialiter concedo majorem; semper formaliter & secundum propriam existentiam, nego majorem. In proposito itaque anima rationalis perfectiori modo secundum unam realitatem continet perfectionem vegetativam, & sensitivam, consequenter operationes earum, unde conceditur minor & distinguitur similiter consequens, ergo est in homine anima vegetativa & sensitiva distincta realiter à rationali, nego consequentiam; indistincta, concedo.

Instatur. Quando aliqua forma solum virtualiter continetur in aliquo, ipsa forma non potest formaliter denominare subjectum tale, sed anima vegetativa & sensitiva formaliter denominant hominem sentientem & vegetantem, ergo non continentur virtualiter, sed formaliter in homine: patet major de Sole, qui non denominatur formaliter calidus, licet sit caloris causativus. Respondeo distinguendo minorem, homo dicitur formaliter & non virtualiter sentiens & vegetans ab ipsa essentia & existentia animae vegetativae & sensitivae nego; per formalitatem & realitatem mediante qua simul cum parte corporis vegetantis vel sentientis componunt completivè potentiam animae vegetativae & sensitivae concedo minorem,

& nego consequentiam; quare cum in animali sint plures potentiae, potest secundum unam appetere objectum liberè, & secundum aliam naturaliter, imò idem appetitu naturali appetere, & libero respicere.

Urgetur: Potentiae vegetativae & sensitivae, quatenus sunt perfectiones animae rationalis, sunt ejusdem rationis cum potentiis vegetativis & sensitivis in bruto, ergo non poterunt in anima rationali contineri formaliter; probatur antecedens, quia habent idem objectum, & sub eadem ratione tendunt in illud; probatur consequentia, potentiae illae quatenus sunt perfectiones in bruto sunt extensae & materiales & corruptibiles, ergo non poterunt in anima rationali formaliter esse, quia quidquid est in ipsa est spirituale & inextensum. Respondeo distinguendo antecedens: Ratio incompleta potentiae vegetativae & sensitivae, quae est perfectio intellectiva est ejusdem rationis cum incompleta ratione animae vegetativae & sensitivae quae est in brutis secundum se inspectae, nego, nam una est corruptibilis, altera incorruptibilis; in ordine ad operationes & rationes agendi hujus & illius formae, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Dico secundò: In nullo animali dantur plures anima etiam successivè. Est etiam Doctoris supra.

Potentia vegetativa & sensitiva in se considerata non sunt ejusdem rationis.

VII. Nec successivè dantur plures anima.

Probatur, quia nulla est necessitas ponendi talem animarum successione, sive in hoc, sive in alio animali, ergo non datur talis successio; probatur antecedens, si esset ulla necessitas, maximè, quia brutum prius vegetatur quam sentiat, & homo prius vegetatur & sentiat quam discurrat, sed ex hoc non sequitur; ergo: major est Adversariorum, probatur minor: quia brutum non ideo non sentiat prius, quia non habet animam sensitivam, aut non discurret homo, quia non habet animam rationalem, sed ex eo potius, quia corpus bruti est dispositum ad causandam vegetationem prius quam sensationem, & homo prius dispositus est ad causandam utramque prius quam discursum, ergo non sequitur ex eo quòd brutum prius vegetetur, quam sentiat, quòd prius informetur animam vegetativam, quam sensitivam, & consequenter nulla est necessitas ponendi hanc animarum successione, cum hæc successio sufficienter salvetur per indispositionem corporum.

Probatur secundò: Quia hinc sequeretur, quòd tres animae possent esse simul, quia si in principio factus animatur animam vegetativam, & postea sensitivam, non est ratio quare illae desinerent adveniente anima rationali, non desinit enim forma informare, quamdiu habet dispositiones debitas, sed dispositiones & organa quae fuerunt non destruantur, ergo. Confirmatur, quia vel hoc ipsum pessimè audit apud omnes, dicere quòd matres portant in utero plantas, bruta, cum tamen quodlibet agens & consequenter etiam matres intendunt sibi generare simile.

VIII. Homo prius vivit vitâ plantae quantum ad anima- operationem.

Opponitur huic Conclusioni auctoritas Aristotelis 2. Gen. animal. 3. ubi ait: hominem prius vivere vitâ plantae, deinde vitâ

animalis, & tamen vitâ hominis, ergo in homine sunt tres animæ successivæ. Respondeo distinguendo antecedens, prius vivit vitâ plantæ in actu secundo, hoc est, habet prius operationes vitales, & sensitivas quàm rationales, concedo; in actu primo, hoc est, habet prius animam vegetativam & sensitivam, quàm rationalem, quæ est vita in actu primo, nego antecedens.

Si fœtus hominis ante 40 diem sensit ante 40 informatur.

Instatur: Fœtus ante inductionem animæ rationalis augetur & crescit, & dum pungitur sese contrahit, ergo prius habet animam vegetativam, & sensitivam, quàm rationalem; probatur antecedens, quia ante quadragesimum diem non infunditur anima rationalis, sed ante quadragesimum diem exercet dictas operationes. Sed Respondeo, si verum est, quod ante quadragesimum diem fœtus eliciat operationes vitæ, dicendum quoque, ante quadragesimum diem infundi animam rationalem.

Explicatur canon.

Urgetur. Ex cap. quod verò 32. q. 2. ubi habetur, quod qui fœtum occidit ante infusionem animæ non esse homicidam, ergo supponitur in fœtu ante infusionem animæ rationalis aliam esse animam, aliàs dici non posset occidi fœtus. Respondeo negando consequentiam, quia ibi per occidere intelligitur corrumpere, vel destruire, non verò occidere propriè. Pro fine huius quæstionis

I X.

Explicatur quomodo anima rationalis includat vegetativam & sensitivam.

Quæres, Quomodo anima rationalis includat animam vegetativam & sensitivam? Respondeo non tantum virtualiter, & eminenter, sed etiam formaliter. Probatur, quia esse formaliter vegetativum & sensitivum non est aliud, quàm esse formam substantialem, à qua habet compositum per ipsam constitutum velut à principio quo, posse elicere operationes vegetativas & sensitivas, sed hoc competit animæ rationali, ergo. Adverte autem pro tollenda æquivocatione, quod quando dico animam rationalem esse vegetativam & sensitivam formaliter me intelligere per hoc, quod anima rationalis in perfectione includat animam ut sic & quod de ipsa possint dici omnia essentialia animæ vegetativæ, & sensitivæ ut sic, præsciendando ab eorum differentiis, non verò intendendo quod anima rationalis sit formaliter per existentiam anima plantæ, bonis, &c.

QUÆSTIO VI.

De informatione Animæ.

I.

Forma non est actus assistens.

Antequam aliquid resolutionem huius quæstionis concernens dicam, & proponam, suppono contra Platonem, & alios antiquiores asserentes animam tantum esse assistentem corporis veluti ejus auriga, aut ut Naucerus asserit navi, animam verè esse actum informantem, tum, quia hic error damnatus est in Concilio Viennensi sub Clemente V. in Clement. Unica, §. Porro de summa Trinitate, ubi sic habetur: *Doctrinam seu positionem temerè asserentem, aut verentem in dubium substantiam animæ rationalis, seu intellectivæ verè & per se humani corporis non esse formam ut erroneam & veritati Catholice inimicam,*

approbante Concilio reprobamus. Tum, quia nihil repugnat, quod detur compositum ex subiecto materiali, & forma spirituali. Denique defacto dari, & hoc esse hominem probatur ex operationibus intellectus, & voluntatis, quæ fiunt ab eodem principio in homine à quo fiunt reliquæ actiones vitales materiales, veluti nutritio & sensationes, sed nutritio & sensatio fiunt à forma, ergo & intellectio & volitio fiunt ab anima rationali, ergo anima rationalis est vera forma. Hoc supposito

Adverte triplices dari partes in animalibus, videlicet essentielles, quæ tanquam actus & potentia componunt vivens, ad eum ut sine ipsis nec concipi possit: Integrales, quæ se non habent ut actus & potentia, nec sunt de intrinseco conceptu viventis, tamen per mutuum unionem integrant vivens, & substantialiter complent: Tertio sunt in vivente partes conservantes, quæ per veram unionem vivens non componunt, sed per quandam juxtapositionem ad alia partes eas conservant, & fovent, tales ordinariè censentur esse quatuor humores, cum quatuor elementis symbolizantes, videlicet sanguis, qui est humor rubicundus, calidus, & humidus in hepate genitus, in quo etiam reliqui humores, tanquam in officina, fabricantur ex partibus chyli temperatioribus pinguioribus, & hæc proinde aëreæ naturæ. Secundus humor est Pituita, seu Phlegma, qui est humor frigidus, & albus, ex crudiori, & frigida parte chyli genitus, qui sanguinem per totum devehit corpus, & totum corpus humectat, ne ex frequenti agitatione areseat cum aqua symbolizat. Tertius humor est Flava bilis, seu Cholera, qui ad quando sanguini post venæ sectionem superat, ex calido & tenui chyli portione fabricatus, qui pro loco à natura sibi destinata habet folliculam fellis, est quæ igneæ naturæ. Quartus humor est frigidus, siccus & crassus nigri coloris, acerbus, & acidus, ex crassiori & terrea parte alimenti productus, vocaturque atra bilis, seu Melancholia, cujus locus naturalis est in Liene. Item sunt & alia similes partes conservantes, vel quasi conservantes, ut *Akrocholia, Lac, Semen, Spiritus vitales, & animalis,* quæ in aliis partibus tanquam vasis includuntur, quæ partes siliis explicare omnino credo necesse non esse, præterquam quod dicam aliquid de spiritibus, qui nihil aliud sunt quàm tenuissima sanguinis partes in corde, vel cerebro purgata, distributæ inde ad functiones vitæ, quæ in corde generantur vitales, quæ in cerebro animales, appellantur, nullumque est inter illos essentialiale discrimen, sed tantum accidentiale, quod scilicet ii, qui in corde generantur potiori ex parte cerebrum petant, & ibi in parte calidissimi mutua cerebri frigiditate in frigidantur & humectantur. Rursus alia sunt excrementicia, quæ ex partibus inutilibus alimenti expelluntur, quarum aliqua merè excrementicia, tanquam inutiles à corpore expelluntur, ut lithrymæ, sudor, saliva, &c. alia excrementicia quæ pertinent ad ornatum, & defensionem ut capilli, ungues, cornua, pennæ, &c. de omnibus ergo his partibus quarritur an sint animales. Et quid sentiendum sit de singulis, brevibus aperiam, atque sic

Dico

III.

Dentes inter
partes ani-
mæ sunt.

Dico I. Omnes partes integrantes, quales dicuntur communiter Caro, Ossa, Cartilagines, Cerebrum, Nervi, Fibra, animantur animæ si divisibiles est, tota omnes & pars partem, si verò est indivisibilis, tota omnes, & tota etiam quamlibet partem. Ita D. 3. d. 3. q. 2. & communis contra antiquiores aliquos Phylosophos, qui animæ maxime rationali aliquam particularem partem pro se de attribuerunt, veluti Cerebrum, Cor, Ventriculum, Pectus, &c. Probatur, quia omnes illæ partes vivunt, ergò informantur ab anima, quia aliunde non potest colligi commodius informatio ab anima, quam quòd vivant, & etiam, quia omnes illæ partes ad rationem corporis organici pertinent, quòd autem vivat, patet ex nutritione & augmentatione. Nec refert quòd omnes partes non habeant easdem operationes, quia si anima per omnes partes exerceret easdem operationes non esset necesse tam diversis organis, ossa ergò cum sint valde tressa & terræ naturæ sunt minus apta sensationi. Deinde cum pedes, manus, & similia membra non sint apta specierum receptioni, quia ad phantasiandum requiruntur, non est mirum quòd in illis phantasia non exercentur, quantæ enim operationes sunt quæ sibi poscunt certas dispositiones, quæ non in omnibus inveniuntur, quare quidem potest dici, quòd intellectio & volitio fit in pede, eò quòd anima quæ intelligit fit ibi, non tamen debet pes dici intelligere, quia hæc denominatio toti homini, & non parti convenit.

IV.

Quemadmodum
anima in
corpore sicut
Reus in regno.

Opponitur Conclusioni Aristoteles qui libro de animal. motu antiquis se subscribere videtur, dicit enim Animam esse in corpore, quemadmodum Rex in Regno, vel Civitate, ergò sicut Rex non est in omnibus regni partibus, sed in principaliori, ita etiam anima non informat omnes partes, sed tantum aliquam principalem. Verum explico Aristotelem dicendo enim solum velle, quòd quemadmodum Rex totum regnum, ita anima totum corpus gubernat, & sicut in diversis regni partibus Rex solet diversas exercere operationes, ita etiam anima in corpore diversas subit functiones. Sed

V.

Dentes ani-
mæ sunt.

Dico 2. Etiam dentes animari. Est communior. Probatur autoritate Aristotelis 2. de gen. anim. 4. ubi asserit Dentes esse ejusdem naturæ cum ossibus, sed ossa vivunt, ergò & dentes. Probatur etiam ratione, quia augmentantur secundum omnem dimensionem, qualis augmentatio non potest fieri per juxtapositionem, ergò. Probatur antecedens, quia partes exteriores eorum in pueris sunt minus distantes à se, in adolescentibus verò & vivis sunt magis distantes, quòd fieri non potest nisi traherent nutrimentum ad se, & nutrirent se vitaliter.

VI.

Obstantur
obstantia.

Incontra Arguunt tum ex eo, quòd non continentur cum reliquis partibus; Tum quia à toto tempore vitæ crescunt; tam denique, quia iterum sponte decidunt. Ast primum distinguere oportet, non continentur immediate transeat, mediata negatur antecedens, & hoc sufficit, ut animetur animam totius, & si hoc non sufficeret nec ossa animari possent,

quia non continentur inter se immediate. Ad secundum dico illud nutrimentum non obstat animationi, nam etiam aliæ partes per totam vitam nutriuntur. Tertium denique provenit ab extrinseca indispotione, non ex natura animalis.

Dico 3. Nec Sanguis, nec Spiritus Vitales,

vel Animales, nec Lac, nec ullus humor animatur ab anima. Est Galeni lib. 4. de usu partium, Scoti supra, & in 4. d. 10. n. 3. D. Thomæ, quos propter suos sequuntur Suarez, Valquez, Ruvius, &c. contra Arriagam, Oviedo.

VII.

Nec sanguis
nec osus alius
humor est
qui anima-
retur.

Probatur prima pars 1. Autoritate S. Augustini qui pluribus in locis sentit sanguinem animatum non esse unde Scripturae loca, quæ videntur id adstruere gratiosè utique solvit. Lib. itaque tertio q. q. Levit. q. 57. ait: *Quid est quod prohibens edendum sanguinem dicit, anima omnis carnis sanguis ejus est? An quia & tale aliquid est in sanguine, quia per ipsam NB. maxime in hac carne vivitur, qui omnibus venis & corpori junctura diffunditur, ipsam vitam corporis vocavit animam, non vitam quæ migrat ex corpore, sed quæ morte finitur, vita itaq; ista temporalis maxime sanguine continetur in corpore, sic & sanguis quoniam propter vitalem quandam corpulentiam animam significat, in Sacramento anima dictus est.* Et infra: *Quærendæ etiam locutiones per id quod continet, id quod continetur, ut quoniam anima sanguine tenetur in corpore (nam si fuerit effusus abscedit) per ipsum aptius significata est anima & ejus nomen acceperit.* Denique lib. contra Adamant. Manich. cap. 12. ait: *Sic enim sanguis est anima quomodo Petra erat Christus & septem spica septem anni.* Sed petra tantum significat Christum & spica septem annos, ergò etiam sanguis significat animam, in quantum videlicet anima nunquam subsistere potest & animare corpus aliquid, nisi sanguis adfit.

Probatur
multipliciter
de sanguine.

Probatur secundò. Ex D. Bernar-

VIII.

Sanguis est
alimentum

do serm. 108. de divers. ubi ait sanguinem solum esse nutrimentum, dicit enim: *Sic nimirum & in sanguine corporis invenire est, ubi excreverit nimirum, non jam nutrimentum asserre corpori, sed detrimentum: Subsumo, sed alimentum non potest esse animatum eadem animam quæ animatur alitum; ergò: probatur minor: Nutritio est mutatio alimenti in substantiam aliti, quare eam dixi aggenerationem esse, ergò debet in alimento nova forma induci, & præcedens perire, & consequenter in sanguinem debet induci forma substantialis aliti viventis, ergò ante ibi non fuit, vel si ibi fuisset formam animam perdere deberet, ut formam animæ acquireret quòd sanè est ridiculum, nam sic eadem anima esset deperdita, eademque inducta. Quod autem Hurtadus asserit dicens carnem nutrire ossa omnia, falsum est, unde tam facile negatur quàm facile ab illo asseritur, deinde licet absolute non implicet, quòd una pars possit esse nutrimentum alterius, repugnat tamen quòd ex natura sua sit ordinata ad nutritionem alterius, sicut est sanguis ordinatus ad nutriendum vivens.*

Probatur tertio: Ex Aristotele 3.

hif. animal. 14. dicente: *sanguinem esse dispersum per*

per omnes corporis venas, ac in illa moveri, & lib. 1. de part. anim. 3. Non, ait, enim sanguis continuus carni, neque cognatus est, sed in corde & venis quasi vasis continetur, sed anima indivisibilis, ut est hominis, non potest informare partes non continuas. Et tandem lib. 3. cap. 5. dicit etiam Sanguinem esse principale nutrimentum.

Probatur quartò: Eadem pars Theologicè, quia ex vi consecrationis advenit sub speciebus totum corpus Christi quoad omnes partes per se primò spectantes ad constitutionem ipsius, sed secundum Trident. Sess. 13. can. 3. non advenit sanguis nisi concomitanter, ergò signum est quòd non spectat ad primariam constitutionem corporis, sed nihil debet animari nisi quod sic spectat, ergò sanguis animari non debet. Confirmatur denique, quia sanguis nullam exercet operationem vitæ, nec enim sentit, nec se nutrit, nec augetur vitaliter alio modo quam aqua per juxtapositionem.

IX.
Probatur de Spiritibus vitalibus.

Probatur secunda pars De Spiritibus vitalibus & animalibus, quia sunt ejusdem speciei cum sanguine, nam Spiritus vitales, ut dixi, sunt puriores quædam partes sanguinis operationibus vitæ nutritivæ inservientes, & animales organa ad sentiendum disponunt, ergò.

Lac non animatur.

Probatur tertia pars De Lacte, tum quia est discontinuum non minùs quam sanguis; tum quia nutrimentum est non solum sobolis, sed etiam illud elaborantis, ut patet ex accretione uberum; tum quia Virgo lacte carens non dicitur defectuosa, & manca in parte aliqua; tum denique, quia videtur esse ejusdem speciei cum sanguine, prout sentit Clemens Alexandrinus, dum dicit *Lac esse sanguinem secundum substantiam variato tantum colore à vehementi spiritu*, quod idem insinuat Aristoteles 4. de generatione animal. 8. ubi vocat Lac sanguinem bene concoctum, formatur enim secundum ipsum & Medicos ex sanguine menstruo, qui quædam vi attractiva uberibus insita, ad ubera attrahitur, ibique colore albo & aliis affectionibus imbuitur. Idem dicit de semine, & aliis humoribus, non est potior enim de aliis, quam de enumeratis ratio, imò semen ab Aristotele lib. 2. de gener. animal. excrementum appellatur, ait enim citatus: *Nam quod excrementum est, habetque omnes partes potentia, actu nullam.* Unde videmus pueros in partibus integralibus perfectos esse, licet semen non sint nati efformare, quare quamvis luxuriosi debiles sint non inde provenit, quòd semen sit animatum, sed quia sanguinem tanquam proximum membrorum nutrimentum infumunt ad generandum semen, nec spadones manci sunt, quia carent semine, sed quia carent instrumentis ad illud efformandum.

X.
Obijciuntur multe auctoritates.

Contra Conclusionem quoad partem de sanguine opponunt nobis adversarii plures auctoritates tam divinas, quam profanas. Primò Levit. 17. habetur *Anima omnis in sanguine est*, supra quem textum D. Augustinus q. 57. in Leviticum ait, *Aliquid vitale est in sanguine, quia per ipsum maxime in hac carne vivi-*

tur, ipsam vitam corporis vocavit animam, & in lib. q. q. veteris & novi Testamenti, ut referunt 32. q. 2. Can. Moyses. *Anima, certe quia spiritus est, in sicco habitare non potest, ideo in sanguine servare habitare.* Item Matthæi 16. sanguis dicitur vera pars hominis, aut enim Christus, Caro & sanguis non revelavit tibi. Tum Innocentius 3. Extravag. de celeb. Missæ & Concil. Trident. sess. 13. cap. 3. veram partem appellant, accipe verba Concilii: *Vi naturalis illius connexionis, & concomitantie quæ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis surrexit, non amplius mortuum, nec se copulantur.* Denique Aristoteles 3. de hist. anim. 19. ait: *Semper quamdiu vita servatur, sanguis unus animatur & servet;* & 2. de part. anim. 2. expressè ait sanguinem esse veram partem viventis. Verùm ad Scripturam Respondendo, Animam esse in sanguine, non ex eo, quòd informet sanguinem, sed quia anima ab eo dependet, ut nullum corpus informare possit nisi esset sanguis, nam à sanguine vita fovetur & vivens ab eo alitur, in eodem sensu intelligendus est D. Augustinus & alii Patres qui frequenter fat copiosè ab adversariis citantur, nam aliud non intelligunt, quam quòd corpus sine sanguine informari non possit, nec operationes vitales exercere, ideo dicunt animam in illo habitare, non per informationem, sed per operationem. Imò in primis locis allegatis D. Augustini, falsificatus est, nam in genuina translatione non est tò vitale sed per modum interrogantis *an quia & tale*, ut supra addidit. Ad reliquas auctoritates, & ad Aristotelem, Respondeo sanguinem dici partem sumpto generalius nomine partis, ita ut non tantum integrantes, verùm & conservantes comprehendat, quæ explicatio necessariò admitti debet, nam Aristoteles in aliis contrarium sentit, nam lib. 2. de part. animal. 10. perhibet rationem, quare dixerat sanguinem non sentire, quia scilicet non est pars animalis, in quo loco totam partem sumpsit stricte, non credo quòd Aristoteles expressè unquam docuerit sanguinem vivere, ut adversarii ex textu allegato & male intellecto deducere sese existimant, nam ibi nihil aliud voluit, quam quòd toto tempore vitæ daret nutritio, & sanguis unus seu aliquis transeat in substantiam aliti ubi informatur anima vivens, sed non ut sanguis, non verò quòd sub propria forma sanguinis animetur.

Arguitur secundo Ratione, tum quia sanguis exercet operationes vitales, in pedebundis movetur ad faciem, in iracundis ebullit, in timidis se repetit ad cor, &c. tum quia sine sanguine homo est mutilus, & mancus; tum denique verbum divinum a sumptis est duas naturas, unam animatam scilicet corporis, aliam inanimatam scilicet sanguinis, quæ sunt in convenientia. Sed ad primum facilis est responsio, nam motus illi non sunt à virtute intrinseca, sed ab aliquo extrinseco provenire, ut quia partes in quibus continetur sanguis, moventur & alterantur, quapropter ob sympathiam etiam sanguis ad motum illarum movetur; Et licet aliqui dicant hos motus provenire ab ipsa anima, videtur non posse sustineri, nam frequenter erubescimus, est nolumus, denique ex motu nulla potest inferri animatio.

nam constat ex timore foleri viscera commoveri & excerni excrementa, nemo tamen excrementa animata dixit, in nimio risu erumpit sudor & lacrymantur oculi, qui tamen non animantur. Ex secundo, licet verum sit antecedens, non licet tamen inferre quod sit pars integralis, sed quod sit pars de secundaria constitutione, nec ex eo quod aliquid ad viventis conservationem necessarium est, statim inferre licet esse partem integram, nam magis est calor naturalis necessarius, quam manus ad conservationem totius, non est tamen pars totius sicuti manus. Ad tertium respondendo distinguendo antecedens, assumpsisset duas naturas quarum una in altera contineretur & ad alteram ordinaretur, concedo: non sic ordinatas ad se invicem, nego: nam Verbum Divinum omnes partes ad conservationem, vel integrationem spectantes assumpsit unice unione totali pluribus vero partialibus.

titia & contemptui, ergo. Deinde ex eo quod crescunt non colligitur animatio, nam frequentissime capilli etiam post mortem crescunt, ergo.

Probatur secunda pars primò, quia alias ponerentur plures animæ in animalibus, sed hoc est inconveniens, quemadmodum enim una anima sufficit ad informandas ceteras partes, quæ animantur ita etiam deberet habere virtutem animandi has partes, si ullo modo animarentur. Secundo: Quia augmentum harum partium potest fieri per juxtapositionem, nec ullum est indicium, quod fiant per vitalem intus susceptionem, ergo.

Multa contra Conclusionem fieri solent instantia, nam dicunt capillos se nutrire, augmentare, habere radices & venulas, ac insuper terminum magnitudinis; item ungues extractos causare dolorem, sed hæc non possunt provenire nisi ab anima informate, ergo. Verum negatur minor, nam de primo sæpe dictum est illam accretionem non esse per intus susceptionem, sed per juxtapositionem: Ad secundum falsum esse dico venulas illas esse unguium, vel cornuum, sed sunt carnis vicinæ; nec ex se habent terminum magnitudinis, sed quia vivens non potest tantum subministrare de excremento, unde necessario desistunt protendere se; Dolor denique nullus est in unguibus quando extrahuntur, sed in carne in qua fuerunt. Quod verò Arriaga multos in una nocte in calu & periculo mortis incanuisse referat, quod provenire non potest nisi capilli poros haberent, per quos similes fugerent qualitates, inane est, nam qualitates illæ nullis indigent poris ut corpus permeent, deinde licet indigerent, ex attractione qualitatibus virtus vitalis non deducitur, nam etiam lana humiditatem corporis contigui attrahit, tamen in lana non est virtus vitalis.

XIII.

Solventur plures Instan-
tiæ.

II.

conceditur
est in
quædam
concordia

XII.

Capilli &
ungues non
animantur.

Dico 4. Ungues, Capilli, Rostra Avium, Cornua bestiarum non animantur anima animalis neque anima aliena. Ita Galenus cum pluribus Medicis & Philosophis &c.

Probatur prima pars: Quia prædicta omnia solum deserviunt ad ornamentum corporis, & non ad integritatem ejus, sed quæ sic spectant ad ornamentum & non ad integritatem non sunt animata, nam anima est actus corporis organici Physici, quale organicum ornamentum non constituunt, ergo.

Probatur secundo: Quia quando prædicatæ partes per juxtapositionem ultra debitam magnitudinem crescunt inciduntur & raduntur, habenturque omnes ut partes excrementitiæ, cum tamen incisæ & rasæ sint ejusdem rationis cum non incisæ & non rasæ, sed partes integrantes non habentur ut excrement-

DISPUTATIO II.

DE POTENTIIS ET ACTIBUS VITALIBUS IN COMMUNI.

Explicata quidditate & essentia anime in communi, quæ constituitur quodlibet vivens inesse vivo, post quod esse sequitur principium intrinsecum acquirendi suam perfectionem & actus proprios, quod principium vocamus potentiam, tale autem principium dari nemo dubitavit, qui se audire, videre, sentire &c. experitur, assignaturque anime in particulari cuilibet aliqua, habet namque vegetativa potentiam nutritivam, augmentativam & generativam, sensitiva potentias quinque, externas & aliquas internas, de quibus infra; Rationalis intellectum & voluntatem, de quibus hic agendum venit, an & quomodo ab anima distinguantur? & quæ potentia ordinem dicunt ad actum in eadem agemus de actibus vitalibus. Unde sic

QUÆSTIO I.

An potentia distinguantur ab anima & quomodo?

materiali & connotato, seu denominato, quæ est principium & fundamentum illius relationis, estque immediatè principium operationis animæ, nec est sermo de principio simul cum illa relatione, nam sic est ens per accidens, constans absoluto & respectivo, quæ nõ possunt facere unum per se principii operativum, nec denique ago de potentia, quatenus constituitur ex perfectione Animæ, & facultate partis determinatæ corporis, quæ dicitur potentia proxima organica,

Ante resolutionem Advertendum me hic non loqui de potentia formaliter sumpta, & quatenus dicit respectum ad actum, hoc enim modo, non est nisi ordo & respectus ipsius producentis ad productum, sed de potentia propria. **F. Amandi Hermann Physica.**

Uuuu nam

I.
Potentia
multipliciter
sumitur.